Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-185401-p0001-8

Halle

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE (SAALE)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-185401-p0002-4

AVGVRATO

# COMMISSARIORVM ELECTORAL. SAXONICORVM POTESTATEM RESTRICTAM

IN

# SCHEMATE EVOCATIONIS TESTIVM IMMEDIATÆ,

HOC EST:

Vom Commiſſariſchen Auftrag der Zeugen-Verhör ohne Requiſition,

CONSENTIENTE

*ORDINE JCTORVM ILLVSTRI*

IN ALMA HIERANA,

*SVB PRÆSIDIO*

DN. CONRADI WILH. Streckers,

JCTI, FACVLTATIS JVRIDICÆ, NEC NON JVDICII ELECTORALIS PROVINCIALIS ASSESSORIS, PROFESS. PVBLICI ET CIVITATIS ERFORDIENSIS SENATORIS,

*DISPVTAT JOVA JVVANTE,*

GRADVM DOCTOREVM IN VTROQVE JVRE AMBIENS

Gottlob HEINRICVS Griebe/ *Dresdenſ.*

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI, HORIS CONSVET.

*DIE XII. MARTII M DCC XXXI.*

ERFORDIÆ, Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII, Acad. Typogr.

KENNTRED UNIVERS. ZV HALLE

# PROŒMIUM.

RUbri ad explanationem caſus proponendus, qui exeruit ſe reverà circumſtantiis ſequentibus: POLONIARUM REX SAXONIÆQUE ELECTOR POTENTISSIMUS, Dominus noſter longè clementiſſimus, ad inſtantiam quorundam Cajæ heredum ab inteſtato, conſtituerat illorum in cauſa contra quendam Vaſallum jurium Schrifftſaſſiorum capacem atque participem, Sempronium nominandum, vi commiſſorii in Cancellaria Dresdenſi illuſtriſſima concepti, commiſſarios duos, quorum utervis Vir gravis, conſultiſſimus, atque conſiliarius, unus à provocationibus, alter à commiſſionibus & inſimul præfectus, tenor autem reſcripti commiſſorii, genuinitatem propter ſenſus idiomate germanico, quo conſcriptus, recitandus, ſequens erat:



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-185401-p0005-1

P. P.

Als iſt unſer Begehren, ihr wollet ſämtliche *Intereſſent*en förderlichſt auf einen gewiſſen Tag vorladen, und unter ihnen vor allen Dingen möglichſten Fleiſſes die Güte pflegen, in deren Entſtehung aber dieſelben mit ihrer Nothdurfft gegen einander gnüglich hören, und rechtlich entſcheiden, daran ꝛc. *Dat.* Dreßden, am *8. Novembr. 1723.*

Transactione diligentiſſimè quidem, fruſtrà tamen â Commiſſariis Menſe Novembris Anno 1724. tentatâ, in hujusce Termino heredes nominati, poſtquam preces ad horum ſupplices Potentiſſimus ex Cancellaria laudatiſſima Commiſſariis iisdem reſcripſerat ampliùs:

P. P.

Wir tragen *R. E. K.* und *Conſort*en hierbey befindl. allerdemüthigſten Suchen, daß die zwiſchen ihnen, als *Cajæ* hinterlaſſenen Erben an einem, *Sempronium* am andern Theile obhandene *Differenti*en vor unſere Landes-Regierung in Vorbeſchied gezogen werden möchten, ſtatt zu geben bedencken; Begehren dannenhero, ihr wollet die *Supplicant*en deſſen alſo bedeuten, „und was euch am *8. Novembr.* „vorigen Jahrs anbefohlen worden, in ſo weit es „noch nicht geſchehen, förderlichſt gehorſamſt *ex*„*pedi*ren. Daran ꝛc. *Dat.* Dreßden, am *18. Sept. Anno 1724.*

exhibebant libellum actionibus variis adverſus Sempronium cumulatum. Tractu proceſſus cauſa deveniebat ex judicato in collegio quodam Electorali de jure reſpondente ad Commiſſionem concepto, ad actus pro-

probationis & reprobationis, quorum ut in illo Cajæ heredes, quà actores, ſic & in hoc Sempronius, quà reus, teſtes denominaverant multos, qui parte pro maxima fora ſua ordinaria competentiave locum extra Commiſſionis ſortiebantur, exceptis paucis, quibus ex unicus Commiſſariorum unum, quà præfectum, tres autem, quà ſubditi rei Sempronii, judicium ſuum paganum judices ſuos ordinarios atque competentes agnoſcebant. Hinc ipſos inter Commiſſarios oriebatur *dubium biceps:* Unum: *Utrùm teſtes denominati ad teſtimonia dicenda Commiſſionis vi ab ea ad eam immediatè & absque requiſitione evocandi?* alterum: *Utrùm quorundam teſtium denominatorum judices ordinarii tantummodò requirendi teſtimoniorum ob dictionem & rotulos inſuper conficiendos?* Meditati ergo Thema inaugurale; obvenit caſus præmiſſus, quô ſurſum deorſumque conſiderato, quòd exerant hôc jura varia, ſibique theoria & praxis miſceat, placuit illum in vim ejuscemodi thematis eligere, & huic rubrum eſſe, ceu fronti diſſertationis noſtræ impreſſum.

§. I.

VErba, quia valent ſicut nummi, non ex præſenti ſemper uſu explicari debent, ſed uti nummorum valor ad tempus contractus, ita verborum ſignificatio ad tempus, quô ſcripta aut pronunciata fuerunt, referenda eſt. Attribuimus poſitioni huicce vim Brocardici juris, ſtatuit enim ſic CASPAR ZIEGLERVS JCtus ordinarius Vitembergenſis famigeratiſſimus in *Dicaſt. Jud.* ſive in *Tractatu morali de judicum officio &*

 *deli-*

*delictis Concl. XXXIIX. §. 7. circa fin.* referens in *§phis 4. 5. 6.* proximè præcedentibus legem quandam, quæ inter leges XII. Tabularum in frontiſpicio legitur: SI. IN. JVS. VOCAT. SI. MORBVS. ÆVITAS. VE. VITIVM. ESCIT. QVI. IN. JVS. VOCABIT. JVMENTVM. DATO. SI. NOLET. ARCERAM. NE. STERNITO. cujus de intellectu & vero ſenſu hujus legis diſputatio inter *Sextum Cæcilium* JCtum & *Favorinum* philoſophum nata eſt apud A. GELLIVM *lib. 20. Noct. Attic. cap. 1.* Favorino iniquitatem hujus legis notante, Cæcilio vero æquiſſimam ejus ſententiam enucleante. Quæ controverſia unicè nata fuit ex eo, quod Favorinus, leges boni interpretis non obſervans, neque ad morem ſeculi, quo lex ſcripta fuerat, attendens, ex ſuæ ætatis uſu acceperit, cum Cæcilius, ad priſtinum loquendi morem reſpiciendum eſſe monuerit. Ex quo factum, quod ille verba in alienum plane ſenſum rapuerit, hic verum eruerit, & legem æquitati, â qua declinaſſe videri poterat, reſtituerit. Ex quo duo præcipuè diſcere poſſumus. Primò, ingentem naſci ex pravo verborum intellectu corruptelam. Deinde, ad interpretem pertinere cujusque verbi ſignificationem & uſum. Abſit tamen præjudicium auctoritatis regulatim nihil probans, quô non poſſumus relevari.

§. II.

Ideò quæſitandum incidenter: quid ſibi velit *Brocardicum Juris?* & quomodò hoc intelligatur in jure? Reſpondemus: *Burchardicum ſive brocardicum*, vocabulum barbarum & latinis hominibus incognitum, natales

les ſuos debet BURCHARDO, *Epiſcopo Wormacienſi.* Floruit Burchardus (quem Itali Brocardum nominant) HENRICI IV. Bavari Imperatoris temporibus, & dictante ac magiſtrante Olberto, Abbate Gemblacenſi, ex conciliorum monumentis, Patrum ſcriptis & Pontificum Decretis opus compilavit, libros *XX.* continens, Coloniæ *1548.* & Pariſiis *1550.* editum, in quo jus, per Canones diſperſum, ſecundum ordinem materiarum diſtribuit, & ad breves ac generales regulas revocavit, vid. STEPHAN. BALUZ. *præfat. ad A. Auguſtin. Emendat. §. 18.* STRAUCH. *Amœnitat. Jur. Can. Ecl. 1. c. 6.* SCHILT. *Inſt. Jur. Can. L. 1. Tit. 2. §. 10.* Hæ regulæ ab autore dicta ſunt Burchardica, vel, ſi ex Gallis atque Italis pleroſque audiamus, Brocarda ſeu Brocardica. Arriſit verò Doctoribus hæc denominatio, regulis â Burchardo concinnatis propria, & ita placuit, ut poſtea eas, quas ex variis jurium legumque hypotheſibus compoſuerunt regulas, Burchardica ſive Brocardica appellaverint. Sic Damaſus veteris juris Eccleſiaſtici Canonicique Doctor Regulas Canonicas, quas collegit, inſcripſit Burchardica, quæ â Petro Saluno Aquilio recognita, & ex manuſcriptis exemplaribus prolata ſunt Colon. *1564.* Azo eas, quas ex jure concinnavit regulas nominavit Brocardica, quæ primùm edidit Caſpar Hervagius Baſil. *1567.* Ex recentioribus verò Joh. Kaufferus, Quirinus Cubachius, Joh. Otto Tabor, Joh. Bened. Schartow, eas, quas partim congeſſerunt, partim illuſtrârunt juris regulas, appellaverunt Brocardica. Quibus etiam *Thomaſius*, magni hujus nominis Jureconſultus ordinarius magnificus apud Hallenſes fatui-

ta-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-185401-p0009-6

tatem regulæ: Cauſa fatua excuſat à dolo, olim magnificans, ſic aſſentitur.

§. III.

Quidni nobis conceſſa eſſe deberet facultas pro re nata ſtatuendi, poſitioni ab initio *§. 1.* prolatæ: Verba quia valent ſicut nummi, non ex præſenti ſemper uſu explicari debent, ſed uti nummorum valor ad tempus contractus ita verborum ſignificatio ad tempus, quô ſcripta aut pronunciata, referenda eſt, ineſſe vim Brocardici? Continet enim analogiam ſolidam, explicationem verborum valore nummorum comparando, & huncce contractus ex tempore dijudicando. Quis enim neſcit, caſus adhuc hodie dabiles eſſe, quibus in nummi temporibus præteritis mutuati, vel alio modo contracti, juxta valorem des alten Reichs- oder Zinniſchen Fuſſes pro obventu ſolvi vel reſtitui debeant inpræſentiarum, quia ejusmodi argentum non ſignatur ampliùs.

§. IV.

Brocardicum itaque hoc noſtrum analogicum anſam præbuit, illud juxta conſiderare thema noſtrum inaugurale non ſolum uſu ex præſenti in terris Electoralibus Sax. obtinente, ſed etiam valorem ejusdem curſim ac breviter prius tangere, quis fuerit in jure civili, &c. Explicabimus itaque 1) quomodò Commiſſarii; 2) eorum poteſtas, 3) Schema evocationis teſtium immediatæ, 4) der *Commiſſariſche* Auftrag, & 5) Requiſitio verè ac genuinè in & de jure â nobis intelligantur. De 1) tractatur *§. 5. - - 11.* de 2) *§. 11.* de 3) *§. 13.*

de

de 4) §. 14. de 5) §. 15. ſtudebimus tamen brevitati, quod fieri poteſt. Animus nam nobis non eſt, materiam Commiſſariorum referre ac deſcribere in univerſum. Hujus enim tractatio requireret laborem pleniſſimum. Quare laborabimus eò, ſive in tantum, quantum actui inaugurali publico, diſſertationi ſcilicet, ſufficere credimus. Huicce ſupervacanea vel non neceſſaria miſcebimus minimè, nec permittemus montibus parturire in eadem mures ſuos. Cumque ominemur, ſchema noſtrum non carere invidis, dicturis, illud nulla ex parte primiparam, ſed ſaltem crambe bis & pluries poſitam eſſe, unde profectum proverbium: Crambe recocta mors eſt; attamen de his & ceteris cavillatoribus magnoperè non laborabimus, ſed ſciant ex nobis, quod mus ætatem uni cubili nunquam committat ſuam, quia ſi oſtium unum obſideatur, aliud perfugium quærat. Veniant itaque invidi noſtri & cavillatores lectum & auditum, caveant tamen inſimul ſibi ſingulatim de fervore, livore, invidia & invidiola omni, invitantor nam & rogantor ad jentaculum, cujus ferculis unum, nomine: VICI. nobis ſolis ſapiet jucundiſſimè, illis autem illud, quod REINERVS NEVHVSIVS *JC. in Florilegio Philologico* ſub voce INVIDIÆ exhibet, nimirum: Qui aliis invidet, fatetur ſe illis inferiorem eſſe, ſaporis erit injucundiſſimi. Sapientipotentium enim prudentiumque juris ſinguli nobis ſuffragabuntur, Electoratu in Saxonico ab Anno *1724.* & in hoc â die *Michaëlis* jura priſtina loca ſua mutâſſe, novaque paſſim ſucceſſiſſe ac obtinuiſſe, quæ prioribus partim derogaverunt, partim addiderunt, tonus quo-

rum, cujus ſit, ſchema quoad noſtrum, in fine videbitur.

§. V.

Interim perſequimur ordinem in §. proximè præ-
1) cedenti habitum, quem juxta 1) conſiderandi veniunt COMMISSARII. Quis ergo prudentium juris erit, cui, voce hác audita, non ſtatim in mentem veniat, principium principiatum doctrinæ Commiſſariorum fluere ex Jure Civili, & potiſſimè derivandum Jurisdictione, à jure dicundo ita dicta, *l. 10. & 14. ff. de Jurisdict.* cujus ſenſus eſt *vel latiſſimus*, quatenus ſcilicet omnis rem publicam adminiſtrandi poteſtas, ac etiam ea, quæ ſumma, & aliàs majeſtas prædicatur, & ſubordinata, qua in, quoad Imperium noſtrum, ſuperioritas territorialis latet, ſubintelligitur, *vel ſtrictus*, quatenus jus dicendi ſignificat poteſtatem, qua tamen Jurisdictionem Nomotheticam, h. e. Legislatoriam minimè, ſed tantùm Judiciariam, cauſas emergentes determinantem ſecundum jus generaliter conſtitutum, aucupamur. Licet enim ſic opponatur merò imperio occaſione *l. 3. ff. de Jurisdict.* & *l. 1. §. 4. ff. de ſuſpect. Tutoribus.* Tamen in generali & nativa ſignificatione etiam merum imperium complectitur, ceu probare ſuſcepit LAUTERB. *in Compend. Juris L. II. Tit. 1. de Jurisdict.* loquens ibidem de definitione & homonymia jurisdictionis, hancque definiens: hìc eſt publica juris dicendi poteſtas. Cujus jurisdictionis in genere conſideratæ, varii in Jure Civili Romano deprehenduntur termini: nempe Jurisdictio in ſpecie, merum & mixtum imperium. Sed hi Termini partes illius tantùm ſunt,

non

non ſpecies, utpote quibus natura generis tota non ineſt, prout addit idem LAVTERB. *in ſuo Colleg. Theor. Pract. P. 1. L. I. Tit. 2. §. 5. p. m. 161.*

§. VI.

Ubi cùm autem in §. 5. dixerimus, unde Commiſſarii originarii ſint, ſcilicet ex Jurisdictione; ſic non debent penitus venire in oblivionem diviſiones ejus variæ in Jure Civili receptæ, quas inter tangemus tantummodo inſtitutum ad noſtrum facientes, dimittendo reliquas. Illæ itaque ſunto, quòd cauſa ab efficiente Jurisdictio Civilis dividatur in ORDINARIAM & EXTRAORDINARIAM, prima quarum jure magiſtratus proprio competit & Jure Ordinario, â Majoribus recepto, officio Magiſtratus. Et hæc eſt, ſub qua in legibus latet ſæpenumerò nomen Jurisdictionis ſibi partes tres arrogantis, nimirum 1) Cognitionem facti, quæ in Jure Romano in ſpecie dicitur Notio, eſtque poteſtas de facti controverſi veritate cognoſcendi, & ſecundum formulam â magiſtratu præſcriptam judicandi. Nam jus ab omni vacat applicatione tantiſper, usque quò conſtet de facto, quia in cauſa jus poſitum eſſe debet, *l. 52. §. 2. ff. ad Leg. Aquil.* 2) Juris determinationem, ubi Judex, quomodò res ſe habeat, & quousque ſibi inſit ſive juſtitia, ſive injuſtitia, pronunciat, & dicitur in Jure Romano Jurisdictio in ſpecie ſive ſimplex, eſtque publica, jure Magiſtratûs competens poteſtas, de controverſiis civilibus, ſecundum Jus conſtitutum cognoſcendi & ſtatuendi, quorſùm pertinet illud, quod in fine *l. 3. ff. de Jurisdict.* legitur, in verbis: *Jurisdictio eſt etiam judicis dandi licentia.* Quam

lectionem ſic intelligi volumus, quòd hancce Jurisdictionem ſicut expediverint olim Magiſtratus regulariter, concedendo ſcilicet Principibus, iisdemque præſcribendo actionem & formulam certam, dandoque judicem, qui hanc & illam accuratione ſumma, ſive præcisè obſervare, ac ſequi debebant; ſic etiam promanet inde licentia dandi judicem, vi nempe hujus Jurisdictionis, non obſtante, Magiſtratus ſolos nonnunquam absque judice dato rem perfeciſſe, ceu patet ex *l. 24. §. 4. ff. de Minoribus 25. annis.* Jurisdictio enim hæc in ſpecie ſive ſimplex dicta nec cuique competit æqualiter, quia gradus ſuos admittit, quorum varii *l. 32. ff. de Injuriis* ut & *l. 2. ff. de in jus vocando*, potiſſimorum autem aliqui *l. 3. & 4. ff. de Jurisdictione* referuntur, v. g. dare bonorum poſſeſſionem, jubere caveri prætoria ſtipulatione, in poſſeſſionem mittere, &c. Hique actus, iisdemque ſimiles, majoribus magiſtratibus annumerantur, quia magis imperii ſunt, quàm Jurisdictionis, *l. 26. ff. ad Municipalem & de incolis*; inferioris ſcilicet atque vulgaris, ad inferiores pertinentis. A quibus denique profluum eſt: Magiſtratus minores vocari ſine imperio atque poteſtate, h. e. ſine imperioſa & excellentiori Jurisdictione. Voce enim ſub imperii hìc non intelligitur mixtum, bene tamen officium atque poteſtas magiſtratuum majorum tribunali præſidentium, & eatenus ſubintelligitur Jurisdictio eminentior ſive excelſa, oppoſita actibus inferioribus, qui vulgaris dicuntur eſſe Jurisdictionis. Quia verò Jurisdictio, poteſtate ſibi jus dictum exequendi haud accedente, operam inanem ſumeret, 3) conſideran-

deranda venit tertia pars, quam Juridictio ordinaria arrogavit ſibi, quæ dicitur mixtum Imperium, quod, quid ſit? præſtat argumentum in *l. fin. §. 1. ff. de Officio ejus cui mandata eſt Jurisdictio*, radicatum, juxta quod eſt poteſtas publica, ſtatuta & judicata in cauſis civilibus modica coërcitione tuendi & exequendi. Quorſum pertinet manus militaris, captio pignorum, indictio mulctæ, retentio corporis, &c. Et hinc quoque eſt, quòd Jurisdictioni inſit ſemper vel cohæreat mixtum imperium, ac ſi hoc illius ſervus & famulus eſſet ad propulſandam contumaciam partium, ne hâc reddatur eluſoria.

§. VII.

Quemadmodum verò putamus, usquàm futurum, ut acribodicæorum quidam inſurrexerint, & tela ſua in §. 5. & 6. Diſſertationis noſtræ conjecerint, nobis inſuſurrando, & partes in contrarias diſputando, quod in §. 5. exerant ſe contradictiones, quarum 1) eſſet: nos jurisdictionem in ſenſu ſtricto conſideratam oppoſuiſſe mero imperio, & nihilominus, hoc ſub illo complecti, inſimul junxiſſe, ex quibus appareat contradictio in adjecto luculenta, ſtatim probanda, quia in fine d. §. 5. merum imperium terminis, quibus Jurisdictio deprehenditur, connumeratum legatur, 2) in contrarium autem cucurriſſe, ubi cum in §. 6. de Jurisdictione partes tres ſibi arrogante egerimus, hasque inter tertiam mixto imperio, mero penitùs omiſſo, retulerimus. Aucupabimur ergo id genus acribodicæorum eorundemque rumuſculos, fallentes nos nihil, modeſtiâ, credentes, ſingulos illorum, modò

non ſint egeni ratione legali, nec obliviſcantur hancce memoriâ, conſilia ſua in melius relaturos. Dicta enim in §. 5. de Jurisdictione, quousque hæc opponitur mero imperio, eatenus intelligenda, quatenus illius ſenſus in jure ſtrictè ſumitur, è contrario autem, quando de Jurisdictione latiſſimè ſic dicta locutio obveniat in jure, terminus juris civilis, merum imperium dictum, ſub ea lateat æquè, quàm Jurisdictio in ſpecie, & mixtum imperium, quia ſunt partes Jurisdictionis latiſſimè acceptæ, non verò ſpecies, utpote quibus natura generis hìc tribui non poteſt. Cur verò mixtum imperium partes inter illas tres locum quendam vindicet ſibi, ratio eſt, quia poteſtas jus exequendi ſita in eo, atque idcircò inſerviat & famuletur Jurisdictioni ordinariæ, ſenſu ſtricto intelligendæ, aliàs inefficacis. Et hæc ſunto, quibus, dolabellæ & planulæ loco, acribodicæorum, ſi usquam eorum qui fuerint, contradictiones, ac aſſamenta lævigantor & poliuntor, cenſentes, ea ſufficienter dolata eſſe, ſin inſtraverimus ſuper adhuc quæſtionem, an Jurisdictio Jure Juſtinianeo tam latè accipiatur, ut etiam comprehendat merum imperium? Reſponſor ſit LAUTERBACH in §. 5. jam allegatus, defendens affirmativam varias per argumentationes, ex quibus prævalere inprimis ſequentem opinamur: Quodcunque comprehenditur ſub poteſtate jus dicendi, illud comprehenditur ſub Jurisdictione. Atqui poteſtas animadvertendi in facinoroſos comprehenditur ſub jurisdicendi poteſtate, Ergo merum imperium comprehenditur ſub Jurisdictione. Cujus fundamen radicatum in *l. 2, §. 16. & 23. ff. de Origine Juris.*

 *ris.*

*ris*. Quamvis nunc Hahnius ſuper hoc argumento opinoſus ſit, & reſpondeat, id ab Etymologia eſſe deſumptum, nihilominus tamen & potius id profluum eſt ab ipſa rei natura, & definitione ejus eſſentiali, præcipuè cum LAUTERBACHIUS memoratus illud pulchra illuſtratione corroboraverit ex *l. 1. pr. ff. de Officio ejus, cui mandata eſt Juriſdictio*, deducta, ubi quæſtio â Papiniano propoſita, an ſcilicet mandata Juriſdictione etiam merum imperium tranſeat? planè eſſet ſtulta & Domitiana, niſi Imperium merum ſub Juriſdictione comprehenderetur, conf. LAUTERBACH. *in Colleg. Theor. Pract. P. I. L. I. Tit. 2. §. 36. & ibi Rat. 3. 4. p. m. 173.*

§. VIII.

Juriſdictionem ordinariam §§. 6. 7. conſideratam ſequitur nunc EXTRAORDINARIA. Hæc competit ex ſpeciali legis conceſſione. Quare etiam *Legalis* ſolet prædicari, docente LAUTERB. *in Comp. Juris L. 2. T. 1. de Juriſdict. p. m. 23.* Quam doctrinam *idem* ulteriùs atque radicitùs ſic explicat in *Colleg. Theor. Pract. P. I. L. I. Tit. 1. p. m. 164.* „Jure magiſtratûs competere dicitur, quæ Magiſtratui, quà Magiſtratus eſt, „& ſimul, dum conſtituitur, conceditur. Ex ſpeciali „verò legis diſpoſitione eſt, quæ ex ſingulari legis con„ceſſione, conſtituto jamjam Magiſtratu, competit, ut „tutoris datio, cauſæ cognitio, & decreti interpoſitio „in rebus minorum alienandis, conſtitutio judicum „ratione Magiſtratûs provincialis. Et hæc extraordi„naria dicitur legalis (ceu jam monitum ab initio *§phi* præſentis) „STEPHAN. *de Juriſdict. L. I. c. 4. n. 2. & n.*

73.

„73. ubi, quod hodie ordinario Magiſtratûs officio ad-
„hæreant, quæ jure civili ſpeciali legis conceſſione
„competebant.

§. IX.

Ad ſtabilimen principii principiati doctrinæ Commiſſariorum trahenda quoque ea Jurisdictionis Civilis diviſio, quâ reſpicitur ut PRINCIPALIS, ſive PROPRIA, principaliter alicui conceſſa, ac ſuo jure competens; Et MINVS PRINCIPALIS ſive NON PROPRIA, quæ alieno beneficio exercetur. Hæc autem rursùs eſt ſive MANDATA, ſive PROROGATA. Et auctoritati *l. 5. & 6. ff. de Jurisdict.* tribuenda. Quia nunc Jurisdictionis minus principalis ſive non propriæ ſpecies prima eſt JVRISDICTIO MANDATA, hanc, cùm accedat obviam inſtituto noſtro, non perfunctoriè ſive curſim, ſed lynceis oculis, quod fieri poteſt, contemplabimur. Oriebatur primùm ex mandato magiſtratûs, eò, ut vicaria opera præſtaretur negotiorum propter multitudinem, id, quod confirmat *l. 5. ff. de Jurisd.* Et nihil aliud eſt, quàm poteſtas mandantis Jurisdictionem ejus vice & nomine exercendi, vid. LAVTERB. *in Comp. L. 2. T. 1. p. m. 24.* Hanc poteſtatem efficit voluntas & Commiſſio Magiſtratûs, quâ tamen contractus mandati exulat penitus, quia & invito mandari poteſt, quod contrait mandato, quà contractui, directò, cujus fundamentum eſt conventio, non ſolum habens nomen, ſed etiam dans legem contrahentibus. Mandaturos ergo habere oportet Jurisdictionem proprio & Magiſtratûs jure. Quæ regula tamen admittit exceptionem in principe, quô ſita Juris-

riſdictio virtualiter, & ideò hanc propriè haud mandante, & itaque mandatarium non, ſed magiſtratum, quô celſior princeps eſt, magis conſtituente. Quemadmodum enim uſusfructus (qui eſt jus alienis rebus utendi fruendi ſalvâ rerum ſubſtantiâ, *princ. Inſt. de Uſufr.*) formalis ſcilicet, ſive qui formam â proprietate ſeparatam, h. e. absque ulla particula proprietatis, habet, ad differentiam cauſalis, cum proprietate vel ejus particula minimùm cohærentis, & velut effectus, â Dominio, ceu cauſa, dependentis, ſic dictus, quia non rei vel dominii pars, ſed ſervitutis eſt, *l. 25. ff. de Verb. ſignif.* licet in multis caſibus eo jure cenſeatur, *l. 4. & l. 23. §. 1. ff. de uſufr. & quemadmodum quis utatur fruatur*, quô tamen propriè non uſusfructus, *l. 78. pr. ff. de jure dotium*, nec jus perſonæ, ſed ipſius rei & dominii quædam pars eſt, *l. 70. §. 2. ff. de fidejuſſoribus & mandatoribus*, cum proprietate vel ejus particula cedi non poteſt, ſed ſolummodò jus, vel exercitium uſusfructûs percipiendi; ſic Jurisdictio ipſa, velut mandata, quam Canones delegatam vocant, in mandatarium non devolvitur, nec tranſit abdicativè, ſed communicativè, quia nihil proprii conſequitur, ſed nudus & ſimplex vicarius efficitur. Quod manui aſſimile videtur, quam (hâc intelligendo noſtram) alicui dedimus, ille habet eam, & nos etiam, quia arctiſſimè corpori noſtro cohæret, & quando alter eandem habere deberet ſolùm, abſcindenda eſſet.

§. X.

His Jurisdictionis mandatariis ſimiles ſunt judices â Principibus dati, vid. LAVTERB. *in Compend. L. 2. T. 1.*

 *p. m.*

*p.m.* 25. Quamvis enim Principes & Status Imperii Romani, quousque Imperatorem Summum Principem vel caput Imperii agnoſcunt, repræſentent magiſtratus, utpote qui ab Imperatore ſive Imperio Jurisdictionem ſuam habeant, &, ſi propriè & juridicè, utique jus juxta Civile antiquum loqui velimus, Principes non ſint, ſed in illis principis appellatione abutemur, cum appellatio Principis ita unius ſit propria, ut rivalem eſſe non compatiatur, &, certè rem ita ſe habere, aſſerat HERM. VULTEJUS *Tr. de Judiciis L. 1. c. 4. n. 27. p. m.* 45. ſi ſcilicet comparentur ad Imperatorem ſive Cæſarem, qui Jurisdictionem habet, & tamen non eſt magiſtratus, ſed aliquid celſius & auguſtius, provocando ad TACITI *annales Lib. 3.* dicentis: majus aliquid & excelſius â principe poſtulari, quia non ædilis, aut prætoris, aut conſulis partes ſuſtineat. Attamen principibus tanta jura tributa, ut hodie omnibus ſit in ore, quemlibet principem ſive Statum Imperii Romani in ſuo territorio tantum poſſe, quantum in Imperio Romano poteſt Imperator, imò multa eſſe, in quibus plus ipſi poſſint, Imperatore, VULTEJ. *c. l. n.* 29. tentat affirmare per ZAS. *in l. 1. pr. de edend.* & GAIL. *I. de pac. publ. c. 6. n. 10.* atque atteſtari per KIRCHOV. *in Comm. opin.* in verbo: *Principes Duces & Marchiones.* eam ſententiam magis communiter receptam eſſe, quam & confirmat PHILIPP. *in Obſerv. Jur. Pract. ex Deciſ. Elect. Sax. D. XXII. O. 3. n. 15.* Sed quidnam his anomolis & irregularibus juri Juſtineano incognitis eruendum? Reſp. Mutato Statu Imperii Romani quamplurimùm ab eo, qui fuit temporibus Juſtiniani, obſer-

obſervari voluerunt iſta anomola & irregularia. Quocirca, ſin judex â Principe ſit delegatus hodiè, vulgò COMMISSARIVS dicitur, id quod affirmat LAVTERB. *in Colleg. Theor. Pr. P. I. L. 2. T. 1. §. 27. p. m. 169.* cui judices inter irregulares & extraordinarios primum locum dedit CARPZ. *in Proc. T. 2. A. 3. n. 3. & 6.* adpoſita ratione, cur delegatus etiam dicatur, nimirum: quod ex Commiſſione ſuperioris Jurisdictio & cauſæ cognitio iis ſit delegata, & quidem vel ab ipſomet Electore, Senatuve aulico, vel â Curia provinciali, &c. Nobis autem cum Commiſſariis ſive delegatis reſcriptô in Cancellaria Electorali Saxonica ſive Senatu aulico, ut judicio principali, conceptô conſtitutis tantummodo res eſt, quia ejusmodi delegatus dicitur Commiſſarius, & efficitur delegatus vel Commiſſarius principis, & ambo, vocibus hiſce ſynonimicè conſideratis atque acceptis, perſona in una vel pluribus reſidere poſſunt. Cui enim ignotum? quod Camera eſt in ipſa aula Imperatoris, ea apud principes ſolet eſſe Cancellaria. Cujus originem ſi ſcrutemur aliquantulùm, illam VULTEJ. *in Tr. de Judiciis L. 2. c. 4. n. 467. ſqq. p. m. 286.* tribuit magiſtratuum cognitioni, opinatus, hanc in perſonis eccleſiaſticis dici audientiam, provocans ad *Tit. Cod. de Epiſcopali audientia & diverſis Capitulis, quæ ad jus curamque & reverentiam pertinent Pontificialem*, quâ voce Imperatores rei ob ſimilitudinem uſi, & in magiſtratibus loco ejus, quod aliàs ſit & dicatur cognitio, ceu fiat in *l. 1. Cod. de Jurisd. &c.* unde auditorium locus dicatur, in quo cauſæ aguntur, item Secretarium in *l. fin. Cod. ubi Senatores vel Clariſſimi civiliter*



*viliter*

*viliter vel criminaliter conveniantur*, & auditorii principis, ſacrum dicti, & auditorii præfecti prætorii, & denique auditorii magiſtratuum mentio facta in *l. 22. ff. ad SCtum Trebell. l. 38. Cod. de Appellat. & Conſultationibus & l. 4. Cod. de Juriſdict. l. 40. ff. de R. C. l. pen. ff. de Offic. Aſſeſſ. l. 78. ff. de Jure dot.* Et quod auditorium eſſet principis & magiſtratûs, id poſt Romani Pontifices ſibi voluerint eſſe Conſiſtorium voce nova, & ex hodierno uſu Cancellaria.

§. XI.

Meditari nunc deberemus Commiſſariorum, vocis utique ambiguæ, definitionem, in quam verò prius-
2) quam deveniamus, poteſtas Commiſſariorum 2) ſpectanda paulò, quia hodiè non omnium Commiſſariorum eadem eſt conditio, vid. LAVTERB. *in Colleg. Theor. Pract. L. 2. Tit. 1. §. 27. p. m. 169.* Quamobrem, ſicuti olim ſubditorum Legationes erant ad ſuum principem, plerumque ad ſalutandum & gratulandum miſſæ cum Pſephiſmate, h. e. literis publicis, in quibus perſcriptum eſſet decretum de illa legatione, vid. ARVMÆVS *in Diſcurſ. Acad. de Jure Publ. Vol. I. D. 14. §. 2. (f.)* ita tenor Commiſſionis, quâ ſub intelligimus reſcriptum, uſu fori Commiſſoriale ac Commiſſorium dictum, diligenter inſpiciendus, eidemque ſtrictiſſimè inhærendum, quô ſolùm poteſtatem unius vel plurium Commiſſariorum elicere poſſumus, & utique debemus. Quare etiam evenit, poteſtatem Commiſſariorum nobis videre vocem ambiguam, ac ipſorum Commiſſariorum, quia poteſtatis hujuſce itidem non una eademque conditio. Non ſolum enim ad lites

ex-

expediendas, ſed etiam ad certos quosdam proceſſus articulos, veluti ad teſtes examinandos, rationes calculandas &c. quin & ad alia quandoque negotia extrajudicialia Commiſſarii delegantur, ut non malè quis Commiſſariorum delegationem dixerit arbitrariam, quâ, num ſemper litigantibus proſpectum ſit? vid. CARPZOV. *in Proc. T.2. A.3. n. 10. 11. p. m. 63.* In prooemio noſtro ſiſtimus delegatos â principe Commiſſarios ad cauſam juſtitiæ & proceſſûs, propter quam reus, ceu Schrifftſaſſius, conveniri potuiſſet ab actoribus electivè, nempe vel coram Curia provinciali Lipſienſi ſuprema vel coram Cancellaria ſive Judicio Aulico. Hincque, intuitu definitionis Commiſſariorum, horum nulli alii ob oculos nobis ſunto, quàm delegati â Principe Commiſſarii ad cauſas juſtitiæ atque proceſsûs, qui, pro ratione inſtituti, & ſalvo rectius ſentientium judicio, definiuntor: Perſonæ, quibus cauſa, vel aliquis cauſæ articulus, nimirum vel principium, vel medium vel finis â Principe primo loco committitur, *arg. cap. 27. §. intentionis X. de officio & poteſtate judicis delegati.* Quibus inſimul firmatur, usquequàque poteſtas Commiſſariorum ſit reſpicienda, & quousque hæc, reſtrictis quaſi â tergo manibus, ſe exerat aliquando, ideòque peculiari definitione hìc vix, ac ne vix quidem egebit. Cui denique conſequens eſt, unam perſonam, vel plures, officio Commiſſariorum fungi poſſe, probè tamen obſervata diſtinctione: an conjunctim, vel disjunctim fuerint conſtituti? Priori caſu res clara & expedita eſt. Poſteriori autem tenor Reſcripti Commiſſorii inſpiciendus, quem, ſive ſinguli,

li, ſive plures ſint, ſtrictiſſimè ſequi debent Commiſſarii. Qui, quando antea Committenti non ſunt obſtricti juramento, hujus vinculo prius debent obſtringi, quia omnes judices, conſequenterque Commiſſarii, debent eſſe jurati, per textum expreſſum in *Ord. Proc. Elect. Sax. Tit. 1. §.* worinnen *&c.* Noſtri Commiſſarii ante Commiſſionem ſibi conjunctim delegatam jurejurando jam erant obſtricti, quorum unus officio præfecti inſimul fungebatur, & idcircò poſteriori competebat directorium Actorum, ceu vult *§. 42. Reſol. Grav.*

§. XII.

Oleum itaque non deperditum forſan erit, nec opera, ſin, intercapedinis ergo, influat quæſtio: Utrum militi in ejusmodi cauſis Commiſſio poſſit delegari â principe ſuo? Antequam autem reſpondemus, ſequentia primùm libanda, nimirum: Judex eſt juris diſceptator, *l. 14. C. de Judiciis*, milites verò ſunt imperiti juris. Peccaſſe intelligitur per imprudentiam malè judicans, *l. 6. ff. de extraord. cognit.* Imperitus literarum Judex eſſe nequit, *l. 2. C. de Sentent. ex peric. recitand.* Plurimi militum ſunt literarum imperiti. Judicis eſt, non aliter judicare quam legibus, aut conſtitutionibus, aut moribus proditum eſt, *princ. J. de officio Judicis.* Milites arma magis ſciunt, quam jura, *l. 22. C. de Jure deliber.* Miles non poteſt eſſe procurator, multò minus poterit eſſe judex. Atqui miles non poteſt eſſe procurator, videlicet ad litem, etiamſi adverſarius velit, vel conſentiat, *l. 8. §. 2. ff. de Procurat. & defenſor.* Quibus tamen opponendum: lites non

omnes

